DISSERTATIO JUSTINIANÆA

De

ARROGATIONE IMPUBERIS,

et

QUARTA ANTONIANA

ad §. 3. J. de Adopt.

Quam

Divino favente Numine

Sub

PRÆSIDIO


JOHAN. ANDREÆ Frommann/

U. J. D. & Inst. Imp. Prof. Ord.

Eruditorum examini decenter submittit.

JOHAN. LEONHARDUS Lederer/

Eslingensis.



Ad d. Augusti.

horis antemeridianis

In auditorio Juridico.

TUBINGÆ,

Typis JOHAN. HENRICI REISI,

Anno M. DC. LXIII.

MAGNIFICIS, NOBILISSIMIS, AMPLISSIMIS, CONSULTISSIMIS AC PRUDENTISSIMIS VIRIS,

DOMINIS

CONSULIBUS, SYNDICIS ET SENATORIBUS IN INCLUTA REPUBLICA ESSLINGENSI,

PATRIBUS PATRIÆ,

Dominis fautoribus, cognatis & affinibus

Æternum colendis & suspiciendis

Exercitium hoc Academicum

D. D. D.

Submißimus

Joh. Leonhard Lederer.



PROOEMIUM.

Materia de Arrogatione impuberis principia pleraq́, etsi sua radiant luce, illustrata potissimum in §. 3. J. & l. 17. & seqq. ff. de adopt. *quin tamen ejus principiata multis circumfusa sint tenebris, non diffitebitur, qui JCTI Ulpiani de iis mota dubia*, vid. l. 10. §. 6. de vulg. & pupil. subst. *& integras quæstiones suis rationibus ventilatas continentia responsa, qualia cernuntur* in l. 22. pr. & §. 1. ff. de adopt. l. 8. §. 15. ff. de inoff. testam. l. 1. §. 21. ff. de collat. *perpenderit; tum verò & maximè recentiorum JCtorum de iis controversias vel levi obtutu inspexerit. de quibus jam ante 35. annos eximius quidam JCtus in suis, de ætatibus earumque jure ac privilegiis, positionibus* th. 78. *id observavit, quod earum quæ circa* d. §. 3. *& imprimis de quarta D. Pii. ab Interpretibus moveri solent, numerus ferè sit infinitus. Quanquam autem materia hæc ad mores hodiernos, qui præ Adoptione Unionem prolium plerumque amant*, C. J. A. de adoption. th. 67. Dn. Hahn. ad Wesenb. eod. n. 6. Dn. Rebhan. in hodeg. p. 137. *collata tantæ utilitatis amplius, quantæ olim fuit, non sit; quia tamen multa singularia habet, teste* Besold. in delib. jur. 1. π. 28. *ad exercendum insuper tyronis in jure ingenium per est apta; & præter hoc, quod, ut è tenebris suis synthetica quadam tractatione extrahatur, haud indigna sit, materiæ Unionis prolium (cujus cum Arrogatione comparationem integro capite instituit* Jacob. Rick. tr. de Union. prol. cap. 9.) *cùm plerumque impuberes vinculo isto adstringantur, multum lucis è juris Iustinianæi fontibus affundere potest; idcircò divino favente Numine tractationem hanc, pro modulo quidem ingenii virium, aggredior.* Prooemium

Tractatio ipsa in sese considerans Arrogationẽ impuberis I. in Genere nempe Definitione tum Nominis & Arrogationis

I.

IN qua nominis enucleationem termini Arrogationis me morari non sino, cum ad materiæ generalem tractationem ea pertineat. Sive enim à mutua interrogatione, quæ inter arrogantem & arrogandum intercedebat olim, uti existimat Gajus *in lib. 1. Inst. tit. 5. de adoption.* §. *1.* sive à solenni rogatione, quæ ab arrogante ad populum olim fiebat. cujus formulam ex Gellii *lib. 5. Noct. Attic. c. 19.* recenset Harprecht. *in comment. ad* §. *1. I. de adopt. num. 2.* nomen suum acceperit, mihi hoc in loco perinde erit. Frantzk. *π. cod. n. 8.* Dn. Hahn *ad Wesenb. eod. n. 4.* Connan. *comm. Iuris Civi. lib. 2. c. 15. num. 4.*

I I.

& Impuberis

Impuberis vocem compositam esse ex particula in compositionibus negandi plerumque significationem habente: in & nomine substantivo pubes, quasi sine pube homo, constat. Is quidem vocis hujus significatus naturalis est. Ast alium in Jure Romano accepit, quod quippe non ad corporis habitudinem in definiendo impubere respicit, sed ad annorum numerum: ita quidem ut etiamsi naturaliter quis pubes sit, ubi tamen nondum præfinitum a jure ætatis terminum consecutus est, pro impubere adhuc habeatur, & contra. rejectâ sc. Cassianorum sententiâ, & Proculejanorum approbata. *per princ. I. quibus mod. tut. finit. l. ult. Cod. quand. tut. vel cur. esse desin.* vid. Hodeg. Rebhan. *pag. 174. in fin. & seq.* Ut ita impubes sit persona, quæ nondum 14. si masculus est, aut 12. si est fœmina, ætatis annum complevit. *dd. ll.*

Neque vero quemlibet impuberem absolutè tractationis hujus subjectum esse, sed restrictivè illum, qui nexu patriæ potestatis liberatus est, de se indicat vox arrogationis, quæ non nisi circa sui juris hominem occupatur. §. *1. & t. t. I. de adopt.* Itaque hoc in loco eandem vocabulo Pupilli, quod regulariter *(propter l ult. §. 2. ff. de V. O. l. 4. C. de necess. serv. her. inst.)* impuberem, qui in patris potestate esse desiit, denotare, constat ex *l. 239. princ. ff. de V. S.* æquipollere, apparet *ex l. 17. §. 12. l. 18. l. 20. §. 1. ff. de adopt. l. 14. princ. de tutel. l. 8. §. 15. de inoff. testam. junct. d. §. 3. I. l. 20. pr. l. 22. pr. & §. 1. l. 32. pr. ff. l. 2. C. h. t.* in quibus & aliis textibus synonymicè acci-

accipiuntur ambo hæc vocabula. Cum autem impubes ætas latè & generaliter omnem annorum tractum usque ad 14. vel 12. comprehendat; in specie vero ab infantili, ea se, quæ nullum plane habet intellectum, secerni soleat. *vid.* § *9. I. de inutil. stip.* eam hoc in loco intelligo, *propter θ. 6.* quæ infantiæ exclusiva est.

III.

tum Rei

Definio *Arrogationem impuberis quod sit actus Legitimus, quo impubes principali rescripto causa special iter cognita, sub conditione satisdationis de bonis ejusdem, arrogatione, eo adhuc impubere finita, restituendis, & quarta etiam bonorum Arrogatoris in casu injustæ impuberis arrogati emancipationis aut exheredationis relinquenda, in familiam assumitur, ut ibi filiifam. loco sit.*

Quæ definitio post genus, contradistinctæ suæ speciei commune, quod habeat differentiam desumptam partim à causa efficiente, partim ab objecto, partim à forma, ex sequentibus clarius patebit.

II. In Specie & ita quidem ut I. Constituendam ex causis tum Externis np. I. Efficiente & Introducēte eaq; tum Principali tam remota quam propinqua

IV.

Pergo ad hujus materiæ specialem tractationem & 1. quidem causarum, earumq; externarum. Efficiens facultatem Impuberem arrogandi introducens principalis, & remota quidem, non minus ac arrogationis reliquæ ætatis hominum, jus Gentium est. v. Dn. Hahn. *ad Wesenb. de adopt. n. 2.*

Propinqua vero jus Civile est, quod tamen jus Gentium in hoc non approbavit tantum, sed simul, cum in usum & utilitatem Civium Rom. Anton. Fab. *in jurisp. Papin. tit. 10. princ. 1. illat. 13.* hoc negocium reciperet, Id novis qualitatibus informatum ad suum forum accommodavit. Stetit autem Resp. Rom. ad Antonini Pii usque tempora sine hac facultate, Perez. *C. de adopt. n. 6.* Besold. *in delib. 1. π. 28.* ex causis quas adduxit Harprecht. *ad d. §. 3. I de adopt. n. 2.* Brisson. *de ritu nupt. pag. 30.* Rittersh. *comm. I. de adopt. p. 80.* Primus enim is est, qui eandem demum, teste Ulpiano *in fragm. tit. 9. §. 4.* introduxit per constitutionem quandam, quæ quidem in Codicem relata non est; in ff. autem hinc inde allegatur sub speciali rescripti nomine *in l. 10. §. 6. de vulg. & pupil. substit. l. 1. §. 21. de collat. adde §. 3. I. de adopt.* item generali constitutionis *in l. 8. §. 15. de inoff. testam. l. 2. §. 1. fam. her. l. ult. ff si quid*

in fraud. patron. interdum etiam sub titulo authoritatis principalis *in l. 40. ff. de vulg. & pupil substitu.* item principalis providentiæ *in l. 22. §. 1. de adopt.* Introduxit autem ita, ut sine ullo pupilli damno procedere possit. *l. 32. pr. l. 33. ff. de adopt.* Prudentissimus enim Princeps is fuit, quod multæ ejus constitutiones, quæ in Codice extant, ostendere possunt. Usus enim est Jurisperitis Salvio Valente, Volusio Metiano, Ulpio Marcello, & Jaboleno, ut ex Capitolino refert Budæus *in annot. in pandect. ex l. 1. ff. de I. & I. part. 1. p. 24.* Idem autem familias conservandi studium, quod bonis legislatoribus maximè semper recommendatum fuit. *l. 1. §. 15. ff. de vent. inspic.* Ant Fab. *in Iurisprud. pagin. tit. 10. pr. 1.* & introductionem tertii patriam potestatē constituendi modi in genere suasit, Frantzk. *ad pr. I. de adopt. n. 1.* sine dubio extensionis objecti arrogationis ad impuberes, ab eo antea remotos, causa fuit. Quod ipsum hîc summa nititur æquitate; cum par sit, ut, quem spes est aliquando in familiam redactum eandem propagaturum esse, in ea etiam à teneris educetur, animusque ejus tum, cum tenax adhuc est semel percepti, imbuatur iis, quæ aliquando familiæ poterunt esse splendori; nec educatio ejus committatur iis, quorum exemplo & consuetudine mollis adhuc animus forsan corrumpi potest. Educatio enim, teste, præter experientiam, Seneca *lib. 2. de ira.* maximam diligentiam plurimumque profuturam desiderat: facile est enim teneros adhuc animos compescere: Difficulter rescinduntur vitia, quæ nobiscum crevêre. Et si in genere id agere oportet, ut sine ulla maligna suspicione alatur partus & educetur. *l. 1. §. 1. & t. t. ff. ubi pup. educ. deb.* vid. Ann. Robert. *lib. 1. rer. judic. c. 9.* nulli magis hoc curæ esse debebit, quam illi, qui quem stirpis suæ propagatorem expectat. *arg. l. 1. C. ubi pup. educ. deb.*

tum minus principali *seu* impulsiva.

V.

Facultatem hanc ita introductam Exercens causa efficiens principalis est voluntas eorum, quos principaliter tangit hoc negocium. *l ult. C. de auct. præst.* Subjectio hæc privata ex consensu est, inquit Grot. *de jure B. & P. lib. 2. c. 5. n. 26.* Cum enim de jure acquirendo & transferendo in hoc actu agatur, affectus utrinque concurrat necesse est. *l. 55. de O. & A.* Arrogatoris quidem quod requi-

& Exercente introductam *quæ est tum* Principalis *quæ consideratur tum positivè*

requiratur consensus, *textus est in l. 17. §. 2. l. 18. ff. l. 2. C. de adopt.* cum in familiam suam redigere tentet arrogandum *d. l. 17. §. 2.* & sic familiæ suæ jura eidem conferre. *arg. l. 7. l. 23. l. 35. ff. eod.* Nec minus etiam Impuberis arrogandi, *per d. l. ult. C. de auct. præst. ibi: si pupillus in arrogationem se dare desiderat* & expressa quidem, *arg. l. 5. ff. de adopt.* cum is ipse tractet de pristino suo jure amittendo. *l. 33. ff. de adopt.* seseq; cum omnibus bonis suis, secundum tamen distinctionem *per l. 6. C. & §. 2. I. de bon. quæ lib. per qu. pers. nob. acq.* introductã, transferendo in arrogantis potestatem. *§. 11. I de adopt. l. 15. pr. ff. eod.*

Sed & Tutoris auctoritas, si alibi, hîc certẽ necessaria est, tum propter pupillum, cujus conditionem non alius actus magis deteriorem reddit, quam hic ipse, cùm non personam ejus tantùm, sed & omnia ipsius bona in arrogantis potestatem transferat. *pr. & t. t. I. de adopt. l. 18. & t. t. ff. eod. junct. pr. I. de auct. tut.* tum propter ipsum tutorem, ne potestas, quam in pupillum auctoritate patris ejus, aut legis, aut Magistratus hactenus habuit, ipsi non consentienti auferatur à pupillo & arrogante, & eo forsan ignorante tutela solvatur. quod absurdum esset. *text. expr. in l. ult. C. de auct. præst. add. §. 1. I. quib. mod. tut. fin.*

Hîc vero quæritur: Quid juris sit, si plures pupillo sint tutores, an omnium simul auctoritas ad hanc arrogationem requiratur, ut unius non sufficiat? In aliis quidem causis omnibus ubi tutelæ administratio non est divisa, Dn. Struv. *S. I. Civ. ff. de auct. tut. n. 44.* unius ex pluribus tutoribus auctoritas sufficit, veterum circa tutorum genera, dubitatione in hoc per novam decisionem sublatã à Justiniano *in d. l. ult. C. de auct. præst.* Cujac. *in π. C. eod.* verùm in hac arrogationis causa diversum placuit, ob æquitatis regulam, ab Imperatore huic causæ verbis conceptis applicatam in *d. l. ult.* & à Pontifice canonizatam *in c. quod omnes 29. de reg. jur. in 6.* quod omnes similiter tangit ab omnibus comprobetur. Plures enim hîc tanguntur ut singuli. Barbos. *locuplet. voc. approbare. ax. 1. Add.* Diod. Tuld. *in comm. Cod. de adopt. n. 1.*

V I.

Posita ergo hac causa efficiente removentur ab hac arrogatione omnes. 1. quicunque voluntatem non habent; & sic impubes etiam, qui infans adhuc est. Utut enim talis in potestate constitu- *tum Remotivi. 1.*

tus

tus à patre suo rectè in adoptionem datur, *per l. 42. ff. de adopt.* quia tamen ibi sufficit voluntatem etiam non contradicendo declarasse. *l. 5. ff. eod.* quæ in arrogatione consentiendo expresse declaranda. *d. l. 5.* quod ab infante fieri nequit; idcircò in hoc actu ipse nihil agere potest, quod auctoritate tutoris perficeretur. Neque verò etiam ipse tutor eum arrogandum dare potest, ne esset in ipsius potestate finire tutelam, contra *l. 17. §. 1. ff. eod.* Ut ita à Connan. *comm. Iur. Civ. lib 2. c. 15. n. 4.* Vult. *in I. Rom. lib. 1. c. 22. n. 36.* & aliis, invita, ut mihi videtur, Jurisprudentia nostra statuatur, eos adhibitis certis solennitatibus & requisitis *per sæpe citat.* §. *3. I. eod.* arrogari posse. Quod ita rectè observavit Perez. *in comm. C. eod. n. 2.* Schotan. *in exam. Iur. p. 60.* & novissime Dn. Brunneman. *comm. ad d. l. 2. C. eod.* A quo ipso tamen Unio prolium moribus recessit, ita, ut sanguinis necessitudine proximè conjuncti cum cognitione apud Magistratum infantum consensum suppleant, teste Muscul. *tr. de success. convent. class. 1. memb. 3. n. 17.*

VII.

2. 2. Quicunque voluntatem quidem habent & declarare possunt, quos tamen principaliter negocium hoc non concernit. Tales sunt ii, inter quos jura adgnationis consequuntur. *l. 7. ff. eod.* Coñan. *d. l. n. 5.* Ant. Fab. *in jurispr. Papin. lib. 1. tit. 10. illat. 21. pr. 1.*

Item qui arrogatione hac non facta impuberi aliàs sive ex pupillari substitutione, sive ab intestato successuri essent. *d. l. 17. §. 1. & d. §. 3. I. de adopt.* Etsi enim ob præjudicium, quod arrogatione ista ipsis creatur, ab impubere dissentirent; arrogatio tamen hæc nihilominus procederet: præsertim cùm cautionibus istis, de quibus infra, introductis, ætatis arrogandi imbecillitas eis in nullo noceat. Cæterum ubi arrogatus, arrogatione non facta, pupillarem ætatem excessisset, tunc per testamentum ipse eos ab hereditate excludere potuisset. Nec obstat, quam nonnulli urgent, ratio, quod causæ cognitio accurata hîc necessaria: in similibus autem actibus nihil fieri debeat inauditis iis, quorum interest. *l. 29. §. ult. de minor.* quia in arrogationibus ideo intervenit causæ cognitio, ut Princeps non patiatur fieri adrogationem, quin causa aliqua ejus faciendæ & allegetur, & probetur; non etiam ut per speciem judicialis disceptationis ea causæ cognitio interponatur, verba sunt Antonii Fabri. *d. l. pr. 1.*

pr. 1. illat. 21. pag. mihi 511. Id constat, quod sanguinis necessitudine impuberi juncti ad hunc actum adhibeantur quidem ejus sua attestatione de utilitate pupilli, quæ eodem acquiritur, promovendi, non vero suo consensu perficiendi gratia, *d. l. 2. l. 2. C. eod.* Dn. Brunneman *comm. ad eand.* In unione prolium adhibendi sunt ii ex sanguine, qui læderentur confirmatione illius, juxta Muscul. *d. l. n. 20. & 93. & seqq.*

VIII.

Efficientem autem hanc in familiam redigere volentem hunc vel illum impuberem (aut etiam unire suis liberis liberos conjugis, Muscul. *d. l. n. 86.*) jura moveri volunt, & impelli causa ab honestate & æquitate non aliena, sed ei consona, *§. 3. J. de adopt.* Honesta autem causa est, quæ procedit ex naturali cognatione vel ex sanctissima *d. l. 17. §. 1.* aut honesta nec incognita affectione *d. l. 17. §. 4.* Inhonesta autem iniqua & legibus reprobata causa est, si prædandi causa accederet arrogator, *arg. l. 5. §. 6. de minor.* si sub copulandæ adoptionis obtentu in facultates impuberis irruere tentaret, *l. 2. C. eod.* si tutor hac ratione quæreret se à tutelæ onere, *pr. I. de excus. tut.* liberare & finire candem *d. l. 17. §. 1* ne rationes reddere eidem cogatur, *d. l. 17. pr.* aut si id principaliter intenderet, ut pupillariter impuberi substitutis eriperet spem hereditatis substitutionem à parente factam extinguendo, *d. l.* Ex quo est, quod causa arrogationis impuberis magis specialiter, quam cæterorum, cognoscenda venit. *C. l. A. ff. eod. th. 17.* *tum minus principalis seu Impulsiva.*

IX.

Leges namque nostræ hunc Finem ex Arrogatoris parte intendunt, ut qui liberos non habet justos, *l. 3. C. de adopt.* aut tales quidem habet, sed per quos familiam conservari spes nulla superest, quod vel furiosi, vel ad propagandam familiam inidonei, Frantzk. *π. eod n. 12.* ii hac ratione suæ familiæ imminenti ruinæ consulant, inferendo eidem impuberem, ut filii f. vel nepotis aut pronepotis, & ita consequenter, loco sit, *l. 22. §. fin. ff. eod.* Optima quidem ratione ad hoc electus. In quo sæpe adoptio naturam antevertit; generare enim & nasci fortuitum est, inquit Tacitus; adoptandi autem judicium integrum; & si velis, optimum quemque in spem nominis eligere potes. Ex Arrogandi verò impuberis 2. Fine.

parte salutem ejus promoveri volunt, *d. l. 17, §. 1. & 2. ff. eod.* ut expediat eidem statum suum mutare potius, & capite suæ familiæ deposito in alterius transire. §.3. *I de adopt.* quam sub tutoris potestate ad pubertatem usque ætatem agere patre orbatam.

X.

tum ex causis Internis *ap.* 3. Materia & Subjectiva *qua consideratur tum Positivè*

Materiam quod attinet Subjectivam, seu eos qui facultate impuberes arrogandi gaudent, sunt illi regulariter omnes isti, qui & cæteros arrogare possunt, etiamsi pauperiores sint arrogando ipso *d. l. 17. §. 4.* Quamvis enim videbatur utilitatem pupilli per hanc arrogationem obtineri haud posse, cum exigua in paupertate successionis spes sit, *d. l. 17. §. 3.* & vel nullo vel minimo lucro arrogato compensentur allatotũ arrogatori bonorũ emolumenta; quin imo occasio in facultates pupilli irruendi eidem subministretur, *arg. l. 2. C. de adopt.* tamen à subjecto hoc pauperiores penitus arcendi non sunt. Etenim diligentia pauperioris sæpe plus valet, quam negligentis & luxuriosi immensæ facultates, *arg. §. 2. J. de societ. l. 52. §. 2. pro soc. add. §. fin. J. de susp. tut.* Virtus divitiis longè melior est. Et satis compensantur arrogando allata arrogatori bonorum lucra, ubi vitæ ejus sobrietate domita lascivientis ætatis libido, *d. l. 17. §. 4.* quæ lascivâ disciplinâ & libidinosæ consuetudinis exemplo ad malos & perditos mores facilè abducitur. Quin imo & sine Magistro vitia discuntur.

XI.

tum Remotivè

Repellendi autem ab hac facultate sunt omnes illi, quorum vita & moribus pupilli salus periclitari potest, *d. l. 17. §. 2. vers. deinde.* Hærebit enim tibi avaritia, quamdiu avaro sordidoque convixeris; Hærebit tumor, quamdiu cum superbo conversaberis: Nunquam sævitiam in tortoris contubernio pones: incendent libidines tuas adulterorum sodalitia: si velis exitiis exui, longè à vitiorum exemplis recedendum: verba sunt Senecæ *epist. 104.* Repellendus & Tutor ipsius pupilli, regulariter. Dn. Struv. *S. l. Civ. de adopt. th. 59.* quia præsumptio Juris est, eum hoc facere alienum in finem, ne rationes nempe tutelæ eidem reddat, *arg. l. 17. pr. ff. eod.* Frantzk. *comm. ad π. eod. n. 14.* Quæ tamen præsumptio contraria probatione elidi potest, aut etiam contraria præsumptione descendente, ex. gr. ex naturali cognatione, aut arctissimo affinitatis vinculo, quale intercedit,

vid.

vid. Frantzk. *n. eod. n. 15.* inter vitricum & privignum. *text. expr. in l. 32. §. 1. eod* quem ita cum *d. l. 17. pr.* post varias Dd. responsiones rectè conciliat Dn. Hahn. *ad Wesenb. de adopt. n. 4.* post Arumæ. *disp. n. 1. th. 16.* Perez. *C. de adopt. n. 5.* Rittersh. *comm. J. eod. pag. 81.* Ant. Fab. *d. l. pr. 1. illat. 27. pag. m. 514.*

XII.

Objectũ præsentis arrogationis tantum impubes est, sui sc. juris. (& Objectiva *qua itidem consideratur tum Positivè*) quem propterea plerumq; pupillũ in hac materia appellari jam supra ostendi. Etsi verò leges facultatẽ impuberem arrogandi introducentes de pupillo tantum locutæ sunt; quin tamen & de pupilla intelligi velint, non est dubitandum, *l. 20. §. 1. de adopt.* tum quod sub masculino plerumque & fœmininum comprehendatur, *l. 1. ff. de V. S.* tum quod expresse placuerit, fœminas etiam ex rescripto Principis arrogari posse, *l. 21. ff. de adopt.* Determinata itaque ætas principale hujus arrogationis objectum constituit. A quo propterea removeo (*tum Remotivè*) Minorennes. Etsi enim in multis articulis pari cum pupillis censeantur jure; jura tamen singularia, de hac impuberum arrogatione constituta, ad eos extendenda sunt minime, cum in illis plerumque cesset ratio dispositionis, quæ favor est ætatis, major semper in impuberibus, quam puberibus, *l. 57 pr. de acquir. hæred.* ætas namque eorum licet multis captionibus sit supposita, multorumque insidiis exposita, *l. 1. pr. ff. de minorib.* tam matura tamen ad negocia esse creditur, ut gesta ab iis curatorem non habentibus ipso jure valeant, *per l. 3. C. de integ. restitut. minor.* & multo magis si curatorem habent, ejus consensu adhibito, *tot. tit. ff. de minorib.* Cum autem ex constitutione D. Claudii Curatoris autoritas ad hunc actum necessaria sit, *per leg. 8. ff de adopt.* ipso jure utique valebit actus hic si se arrogandum dederit: in tantum, ut etiamsi post docere possit arrogationem sibi non expedire, ad emancipationem tamen arrogatorem cogere nequeat; nisi forsan ostendere queat, se in ipsa arrogatione ætatis imbecillitate circumventum esse; tunc enim beneficio restitutionis in integrum gaudet, *text. expr in l. 3. § 6. de minorib.* quem textum, ut juri singulari nostræ arrogationis non obstet, ita optime interpretatur Anton. Faber. *d. l. pr. 1. illat. 10. pag. m 489.* Quod si verò in minori ætate moriatur arrogatus bona ejus non re-

ſtituuntur his ad quos aliàs arrogatione non facta perventura fuiſſent; nec ea etiam hîc obtinent, quæ aliàs in arrogatione impuberis; de quibus in ſeqq.

XIII.

4. ex Forma *quæ eſt partim* Communis

Sequitur Forma hujus arrogationis, eaque 1. Communis cum reliquæ ætatis hominum arrogationibus, quæ, breviter, majori quam adoptio in ſpecie (ex ratione quam Anton. Fab. *in juriſpr. Papin. tit. 10. illat. 9.* Connan. *d. comm. jur. Civ. lib. 2. c. 15. n. 3. & 10.* Perez. *C. de adopt. n. 5.*) ſolennitate peragitur, & antiquo Jure quidem per populum fiebat, *l 2. C. de adopt.* ejus autem jure lege regia in Imperatorem translato, *§. 6. I. de jur. nat. gent. & Civ.* fit per principale reſcriqtum *t. t. I. de adopt. l. 6. C. eod.* Frantzk. *π. de adopt. num. 9* deſiderio prius Imperatori precibus expoſito, *per l. 3. C. eod.* cauſaque arrogationis, apud Magiſtratum prius cognita, *d. l. 2.* C. J. A. Π. *de adopt. th. 19.* eidem inſerta, *d. l.* quod poſtea apud acta inſinuatur, *d. l. 2.* Perez. *C. d. t. n. 2.* Dn. Brunn. *ad d. l. 2.* Hodie verò forma imperii immutatâ dum Status Imperii perpetuam & hæreditariam habent jurisdictionem & territoriali jure gaudent, ob quod tantum in ſuis territoriis facere poſſe dicuntur, quoad ipſa, quantum Imperator in toto imperio, *vid.* Reink. *de R. S. & E. lib. 1. claſs. 5. c. 6.* ſtatus etiam Imperii inter ſuos ſubditos autoritatem arrogationi celebrandæ recte accommodant. Harpr. *ad §. 1. I. de adopt. n. 5.* Imò jure Sax. etiam arrogatio coram Magiſtratu municipali fit, Schultz. *in Syn. jur. eod.* quemadmodum & moribus Unio prolium.

XIV.

partim Peculiaris *conſiſtens in Neceſſitate* 1. Cognitionis cauſæ

Sed præter iſtam formam comunem peculiarem in Jure accepit præſens hæc arrogatio; Illa vero conſiſtit in neceſſitate 1. cauſæ cognitionis, de qua neceſſitate extat textus *in d. §. 3. I. de adopt. ibi: cauſa cognita arrogatio fieri permittitur, d. l. 17. § 2. eod. ibi, excutiendum. l. 18. eod ibi; ſi cauſam ejus ob alia probabit, l. 40. de vulg. & pupil. ſubſtit. ibi; cauſa cognita impubes arrogatus d. ceſſerat. l. 2. C. de adopt. ibi; ſi hi qui ſanguinis neceſſitate junguntur, id ei expedire apud præſidem provinciæ confirmaverint.* Quæ cauſæ cognitio ad ſolennitatem hujus actûs pertinet. *per text. gen. in l. 25. § 1. de adopt.* non omittenda etiam in Unione prolium, Muſcul. *d. tr. claſs. 1. memb. 3. n. 38.*

n.38. & seqq. Nec simpliciter credendum tutoribus, expedire pupillo asserentibus hanc arrogationem. Inquiri autem debet non tantum in causæ, quæ impellere ad arrogandum aliquem dicitur veritatem, sed & justitiam; Neque in hoc tantum, verum etiam, an ex parte pupilli arrogandi arrogationis finis, qui est salus ejus, obtineri queat: sive, exquirenda est primum causa; exquisita deinde examinanda, an sit justa & honesta; & ubi talis deprehensa, inquirendum insuper, an expedire queat impuberi arrogatio ex ista causa permittenda. Hi gradus hujus cognitionis monstrantur *in d. §. 3.* Etenim ubi nullam quis arrogationis in certo impuberis hujus vel illius subjecto instituendæ allegat causam, à limine statim hujus cognitionis & actus repellendus erit; neque enim hîc, uti aliàs in arrogatione cæterorum, *d. l. 3. C. de adopt.* sufficiet addere hanc causam, quod liberos non habeat is, qui arrogare vult, cum causa hæc ipsum objectum non concernat. Etsi verò causa ipsum etiam objectum, impuberem, concernat, si tamen Honesta non est & in justitia fundata, *qua debet esse & Honesta* utut pupillo etiam expediat arrogatio, permittenda minime est, e. g. si ideo vellet arrogare pupillum, ut vinculo tutoriæ potestatis, sive in concreto sive in abstracto consideratæ, liberetur; aut ne cogatur heredes habere à patre ipsi substitutos, quos tamen pupillus odio habet, prohibenda est utique hæc arrogatio, *d. l. 17. §. 1.* Respicienda duntaxat causa naturalis cognationis vel sanctissimæ affectionis, Vlp. *in d. l. 17. §. 1.* aut arctissimæ affinitatis, *l. 32. §. 1. eod.* ut certus esse quodammodo possit Princeps, nihil arrogatorem in arrogandi impuberis detrimentum tentaturum esse. Dn. Brunnem, *comm. ad d. l. 2.* Ex sanguine enim dilectio oritur, ex hac benevolentia; quæ propterea ex necessitudine & sanguinis conjunctione præsumitur. Menoch. *lib. 1. de præsumptioni: quæst. 28. num. 13. & seqq.* nec non etiam ex affinitate. Idem *lib. 3. præs. 33. n. 5.* quæ conjunctio id efficit, ut tales conjunctæ personæ etiam interdum à prætore cogantur educare pupillum, *l. 1. §. 2. ubi pupil. educa. deb.* dilectio autem amorque is est, qui magis impellit, quam ipse sanguis. *Idem dict. quæst. 28. num. 15.*

X V.

Cæterum utut causa adsit eaque justa & honesta, si tamen nihilominus arrogatio non expedit pupillo, iterum non permittenda. *dd.* *& utilis pupillo,*

text. sive periclitari videatur ipsius educatio, sive etiam patrimonium. Respiciendum ergo est Magistratui cognoscenti, cujus sit vitæ qui velit pupillum redigere in familiam suam, monente Vlp. *in l. 17. §. 2.* nec refert opulentam ab eo sperare queat hereditatem. sæpe enim quo quis ditior, eo sceleratior. Ut in divitiis multæ virtutes, juxta Senecam, campum habent patentem; sic & è contra plurima vitia, prodigalitas, superbia, libido, alia. Evitandus itaque erit in causæ cognitione is, e. g. qui pudicitiæ impuberis potest insidiari, *l. 5. ff. ubi pupil. educ. deb.* qui maligna suspicione gravatus. *l. 1. §. 1. eod.* qui utut dives, inhiare tamen videtur pupilli bonis. *l. 2. C. eod.* Quod si vero vita ejus nulla tali macula laborat, nec tamen ejus sobrietas aut aliæ virtutes claræ sunt, tunc respiciendum, an ditior sit ipso arrogando, an vero eo pauperior; & in priori quidem casu admittenda erit arrogatio; in posteriori minimè: nisi affectio honesta nec incognita divitiarum defectum supplere queat. *d. l. 17. §. 4.* Hanc cognitionem autem prætor tanto facilius instituet, si cognatos pupilli, an ipsi expedire credant pupillo arrogationem, audiverit. *d. l. 2. C. eod.*

XVI.

Intellectus l. 17. ff. de adopt.

Et hæc ordine ita ab Ulpiano recensentur in sæpe cit. *l. 17. ff. de adopt.* ita tamen, ut alia etiam capita quæ cæteris puberum arrogationibus communia quoque sunt, admisceat, Vinn. *comm. ad d. §. 3. I. de adopt.* uti sunt illa de arrogatoris ætate; liberorum item, quos habet, numero. *d. l. 17. §. 2. & 3.* cum mens ejus fuerit cognoscentem de hac arrogatione pleniùs & in genere etiam informare. Ex dictis autem apparere arbitror, minus recte id, quod de causæ cognitione in *d. §. 3. I. de adopt.* dicitur, cuivis arrogationi commune esse asseri à nonnullis. quod salva autoritate eorundem notatum velim. Quid opus haberet Magistratus tam solicite à puberum adultorumque arrogationibus damna eorundem avertere, cum sibi sapere debeant ætatem captionibus non ita expositam habentes. Anton. Fab. *d. Iur. Papin. tit. 10. illat. 11.* Harp. *comm. ad d. §. 3. I. de adopt. n. 1.* Cessat enim in talibus ratio introductæ specialioris illius cognitionis, quæ est, ne quid sub prætextu arrogationis in pupillorum, qui, quòd miserabiles sunt personæ, *t. t. C. quand. Imp. int. pup.* favore sunt dignissimi, mores & bona improbe tentetur. *arg. t. t. ff. & C. de reb. min.*

min fin. decret. non alien. Nec alibi observare licet in jure tam sollicitam circa adultorum salutem curam. Melius ergo statuit post Harp. *d.l.* & Ant. Fab. *d. l. tit. 10. pr. 1. illat. 11.* Dn. Struve *S. I. C. de adopt. n. 19.* singularem hic & specialiorem causæ cognitionem intervenire.

XVII.

2. Certæ promissionis & præstationis Cautionis.

Hæc peculiaris arrogationis hujus forma consistit etiam (copulativè, per ea, quæ habet Ant. Fab. *d. Iurisprud. Papin. d. l.*) 2. in necessitate *promissionis & præstationis cautionis* de restituendis in casum mortis arrogati in impubere ætate contingentis bonis ipsius, & interdum etiam ipsius arrogatoris parte bonorum relinquenda. In quo differentia nova est hujus arrogationis à cæterorum, adultorum nempe, arrogatione. Utut enim etiam in hac interdum ejusmodi promissio & cautionis præstatio interveniat; fit tamen, id ipsum tunc non ex necessitate sed ex pacto libera voluntate ita specialiter inito: cum cuilibet arrogando, si velit, liberum sit, in eas leges, quas dixerit, satisdationem postulare. Coñan. *in Comm. Iur. Civ. lib. 1. c. 15. num. 12.* In hac autem nostra necessitas imponitur arrogare volenti, adeò, ut licet arrogandus & ejus tutor aut consanguinei eandem non exigant, nec magistratûs officium implorent; non imploratus tamen hic ipse eandem etiam invitis partibus exigere possit. Debet enim arrogator eam præstare, *l. 19. pr. de adopt.* nec aliter voluntati ejus subscribendum est, inquit Marcellus *in l. 18. ff. eod.* Quin imò etsi omissa forte fuerit, tacitè tamen ex legis dispositione intervenisse fingitur. *arg. l. 19. §. 1. eod.* semper enim cum hac conditione fit hæc arrogatio. *d. §. 3. I. eod.*

Cujus satisdationis proponitur

XVIII.

1. Efficiens *tum* Remota

Hujus satisdationis causa efficiens remota est Jus Civile; & quidem ut videtur constitutio principis. autoritate namque principali vinculo cautionis prospectum hic esse, dicitur *in l. 40. ff. de vulg. & pupil. subst.* id ipsum tamen interdum etiam proxima est, in casu à Magistratu omissæ exactionis ejusdem. *d. l. 19. §. 1.* Proxima verò est Prætor. *d. l. 2. C eod.* seu Magistratus. Ad Prætorias igitur stipulationes pertinet. *de quibus. t. t. ff. de Præt. stip.* Finalis est utilitas dum pupilli arrogandi, ne sc. metu cautionis sub prætextu arrogationis copulandæ, in ejus bona, ipsi certis in casibus restituenda,

tum Proxima

2. Finis

arro-

arrogator irruat. *d.l.2.* tum eorum, ad quos bona pupilli, si arrogatio ejus facta non fuisset, pervētura essent, nempe vel pupillariter substitutorum, ut infra dicetur; vel etiam heredū ab intestato; quin& legatariorum. *d.* §. *3. d. l. 18. l. 19. pr. ff. de adopt.* Materia subjectiva seu subjectum, quod hanc satisdationem præstat, est arrogator impuberis. *dd.ll.* Subjectum Cui, sunt non ii, ad quos hæc stipulatio pertinet, nempe non ipse pupillus; ut ut, cum per hanc stipulationem deteriorem non reddat conditionem suam, etiam sinè tutore benè stipulari possit. §. *9. I. de inut. stip. junct. pr. I. de aut. tut.* Gœdd. *comm. de contrah. & commit. stip. c. 7. concl. 12.* ex quib. text. contra Vult. *in comm. ad pr. I. de adopt. n. 6.* & Harpr. *ad d.* §. *3. I. eod. n. 6.* omnino apparet, consensum impuberis hujus esse ejusmodi, ut stipulationi tali sufficiat. utut etiam, & tanto magis, cum ipso tutore cautionem hanc exigere; utut etiam per servum præsentem stipulari, & ex stipulatu actionem sibi acquirere possit. *l. 1. pr. ff. de V. O.* utilem quidem. *l. 2. ff. rem pupil. salv. for.* Quæ ratio sit, cur non pupillo ita fiat? Non admodum apparet. certè ab interpretibus commoda vix proponitur. Forsan id ideo introductum, ne actus hic in plures stipulationes distrahatur, qui commodè una expediri potest. Præterea nec etiam iis fit ad quos bona pupilli arrogatione non facta, perventura sunt. sive quod incerti sunt; possunt enim ab intestato successuri proximi, potest & pupillariter substitutus mori ante hunc impuberem; aut hic ipse etiam eo mortuo hereditatem ejus repudiare, & sic ea pervenire ad successores ab intestato; sive etiam quod inter hos esse queunt, qui propter ætatem stipulari nequeunt. Vinn. *comm. h.* §. *3. n. 2.* Sed subjectum hoc Cui persona publica est, quæ stipulando recipit promissionem. Hæc olim servus publicus erat, omnium & singulorum civium Rn. communis. Harpr. *ad d.* §. *3. n. 7.* tabellio publicus etiam dictus, *l. 7. C. de adopt.* qui uti in aliis causis ex ficta civitatis, nec non singulorum civium persona jus stipulandi habuit, *arg. pr. I. de stip. serv. l. 2. ff. rem pupil. salv. for.* ita in hoc actu omnium, ad quos hæc res pertinebat, nomine stipulabatur. Cujus in hoc actu & JCtus in *l. 18. & Impp. in l. 2. C. de adopt.* adhuc mentionem faciunt. Verum postquam per Arcadii & Honorii Impp. constitutionem *in l. 3. C. de tabul.* non amplius permis-

3. Materia *scil.* & Subjectum *cui. quod consideratur tum* *Remotivè*

tum Positivè.

permissum est chartas publicas tractari per servituti obnoxios, sed liberæ personæ ad eas adhibentur, quæ ab officio publicæ dicuntur: idcircò ex eo tempore hæc satisdatio publicæ huic personæ fit. *d. §. 3. I. de adopt.*

Objectum hujus satisdationis est restitutio patrimonii pupilli, in casu quo impubes penes arrogatorem decesserit; ob eum quidem finem, ne aliàs ad insidias vitæ impuberis struendas invitaretur arrogator. Rittersh. *comm. I. eod. pag. 84.* quæ promittitur facienda omnibus ad quos ea res pertinet, vel ipsi pupillo, interdũ & huic unà cum quarta bonorum arrogatoris, in casu non ex legitima causa factæ ab ipso impuberis emancipationis, aut exheredationis. Vult. *in Jur. Rom. lib. 1. c. 22. dd. l. 17. in f. l. 18. ff. d. §. 3. I. de adopt.* 3. Objectum

Forma fluit ex ipsa causa efficiente. quia enim Prætoria est, idcircò neque pignoribus neque pecuniæ vel auri vel argenti depositione. *l. 7. ff. de præt. stip.* multò minus juramento, aut nuda promissione perfici potest; sed personas desiderat pro arrogatore promittente intervenientium, fidejussores sc. *per text. gen. in d. l. 7.* Perez. *C. de adopt. n. 6.* eosque idoneos: *per text. specialem in d. l. 2. C. de adopt.* Rittersh. *d. l. pag. 84.* Etsi enim Imp. *in d. §. 3. I.* & JCtus Marcellus *in d. l. 18. de adopt.* simpliciter cautione contenti esse videntur, & sic etiam pignora admittere aut verba, *propter l. 3. C. de V. S. l. 188. §. 1. ff. eod.* non est tamen dubitandum, quin generis vocabulo pro specie, satisdatione nempe; sint usi: quomodo se ipsum explicat Marcellus *in l. 20. pr. ff. de adopt.* & eum quoque Ulp. *in d. l. 17. in fin. ibi: satisdatio in his casibus dari solet. & in d. l. 19. pr. ibi: satisdatio ab arrogatore præstari debet.* nec non Impp. *in d. l. 2. Cod. eod.* quando illi sub conditione cautionis, idoneis fidejussoribus faciendæ, impuberis arrogationem admittunt. Hæc autem satisdationis necessitas an etiam in Unione prolium obtineat, videri potest post Ric. *d. tr. c. 9. n. 45.* ap. Muscul. *d. l. n. 91. & seq.* Committitur autem hæc satisdatio, qua eos potissimum respicit, ad quos ea res præter pupillum pertinet, mortuo impubere: sive mortuus fuerit vivo arrogatore, sive etiam eo jam mortuo. *l. 22. pr. ff. de adopt.* Ant. Fab. *d. l. pr. 1. illat. 11. in fin.* 4. Forma.

XIX.

Et hæc de hac impuberis arrogatione constituenda. Constituta II. De Constitutā

& ita iterū quoad 1. Effectus

jam ubi ritè est, considerari potest amplius in suis effectibus & causa eandem iterum dissolvente. Effectum igitur quod attinet, occurrit alius communis cum reliquorum arrogationibus, alius vero huic peculiaris. Communis iterum est vel primus, vel primum consequens. Primus iterum est vel privativus vel positivus.

Hi sunt vel Communis *itq; tum* Primus *qui vel* Privativus.

Privativus est mutatio & minutio capitis familiæ. *§. 3. I. de cap. dim.* Cum enim pupillus arrogandus sit in tali statu, ut sui Juris, Paterfamilias, suæ familiæ princeps sit. *l. 239. pr. de V. S. l. 4. de his qui sui vel alien. jur.* facta hac arrogatione in eo non permanet amplius, *l. 18. de adopt.* sed amittit eundem, *arg. l. 33 ff. eod.* & caput suum ê familia & domo sua transfert. *l. 11. §. fin. de bon. poss. sec. tabb.*

Vel Positivus.

Positivus vero est, quod arrogatus hic in arrogatoris redigatur familiam. *d. l. 17. §. 2. ff. de adopt.* & potestatem. *l. 33. eod.* & sic ejus fiat filiusfamilias *l. 22. pr. eod.* ad vicem naturalis sobolis. *l. 2. C. eod.* Est enim adoptio naturæ similitudo, ut filium aliquis habere possit, quem non generavit. Coñan. *comm. Iur. Civ. lib. 2. c. 15 n 1.* In quo tamen ab Unione prolium differt: ea namque patriæ potestatis nexum non inducit. Rick. *d. tr. c. 8. n. 1. & seq.* sed quoad alimentorum effectum naturalium loco per Unionem quæsitos collocat. Muscul. *d. l. n. 22.*

X X.

tum Primum consequens de Iure stricto *qualis inter alios est* 1.

Primum vero hunc effectum communem Consequentes effectus, inter alios, de quibus alibi in generali materia, de jure stricto sunt. 1. Translatio fortunarum ipsius in familiam & domum arrogantis. *d. l. 11. §. fin. de bon. poss. sec. tabb. l. 15. pr. de adopt. t. t. I. de acquis. per arrog.* ita ut quoddammodo aliena fiant. *l. 8. §. 3. ff. de jur. codic.* cum in potestatem transeat arrogatoris, & propterea proprii nihil habere possit, ob regulam juris veteris generalem, quæ traditur *in §. 3. I. per quas pers. nob. acqui. l. 10. §. 2. de acq. rer. dom.* Quæ tamen nunc sunt intelligenda cum distinctione, quæ traditur *in §. 2. I. eod. & in l. 6. C. de bon. quæ lib.* C. J. A. *de adopt. §. 43.* Hæc vero bona impuberis, quemadmodum & ea, quorum commodum postea acquisivit, *d. §. 3. I. de adopt.* arrogator stricto jure acquirit ita, ut decedente eo licet in impuberi ætate, hoc tamen jure arrogatoris maneant. *arg. d. l. 18. ff. eod.*

2. Repulsio

2. Repulsio ab hereditate arrogati eorum omnium, qui aliàs arrogatione non facta ad eandem pervenissent. *arg. d. l. 18. & l. seq.* Et sic tum legitimorum heredum, qui aliàs ab intestato impuberi huic erant successuri, *l. 40. de vulg. & pup. substitut.* tum etiam eorum, quos ex testamento patris naturalis accepit, pupillariter nempè substitutorũ. *l. 17. §. 1. de adopt.* Cum enim per arrogationem hujusmodi pupillaris substitutio recidat in eum casum â quo incipere non possit. etenim is qui in potestate patria est, cum testamento regulariter decedere nequit. *pr. I. quib. non est permiss. fac. test. l. 6. pr. l. 16. pr. ff. l. 3. §. 1. C. eod. arg. pr. I. de leg. Falc. l. 120. ff. de V. S.* consequens omnino est, ut ejusmodi substitutio expiret. 2.

3. Itaque effectus est extinctio substitutionis pupillaris â patre naturali ipsi pupillo factæ. *d. l. 17. §. 1.* Connan. *in comm. Iur. Civ. lib. 2. c. 15. n. 10.* Anton. Fab. *d. Iurispr. Papin. tit. 10. illat. 11.* 3.

4. Facultas impuberi arrogato pupillariter substituendi in bonis, non tantum quæ ab ipso arrogatore ei dantur & relinquuntur, aut ejus occasione acquiruntur arrogato, sed in omnibus omnino bonis quæ quacunque ratione aliunde ad eundem pervenere. *arg. l. 22. §. 1. ff. de adopt. l. 10. §. 6. ff. de vulg. & pupil. substitut. junct. §. 4. I. de pupil. substitut.* etiam post mortem substituentis. *d. l. 10. §. 5.* in tantum, ut matrem pupilli â tota ejus hereditate excludere possit substituens. *l. 45. pr. ff. eod. l. 8. §. 5. de inoff. testam.* & sic multo magis cæteros legitimos ipsius heredes. propter regulam *in l. 39. de acquir. hered. l. 89. de R. I. text. expr. in l. 7. C. de vulg. substit.* 4.

5. Facultas eundem exheredandi impunè, ita sc. ut mortuo patre nihil ex bonis arrogatoris impuberi præstandum sit. *arg. d. §. 3. I. de adopt. d. §. 4. I. de pupil. subst. l. 18. de liber. & post.* 5.

6. Facultas eundem impunè etiam emancipandi, justa an injusta sit causa; ita quidem ut itidem non teneatur arrogator emancipato impuberi reddere sua bona, quæ ad ipsum transtulit, quorumq; commodum ei postea adquisivit; multò minus etiam partem aliquam bonorum propriorum eid. relinquere. *arg. d. §. 3. junct. §. 2. I. per quas pers. nob. acq.* 6.

7. Facultas eundem in potestate retinendi, ita ut invitus non possit cogi, etiamsi non expediat impuberi arrogatio, ut emancipet eundem puberem factum. *arg. l. 32. pr. l. 33. ff. de adopt. junct. §. fin.* 7.

 I. quib.

l. quib. mod. p p solvit. C. J. A. *π. de adopt.* 6.'36. Ant. Fab. *d. l. pr. 1. illat. 26. pag. m.* 514.

XXI.

Nō benigno & singulari *quo dicti effectus propter satisdationē cessant Si præstita.*

Sed hæc omnia stricto & mero jure ita se habent. Verum cum pupillus hic nondum sit ejus ætatis, ut discernere possit, annon tutor id principaliter intendat, ut tutelam aut substitutionem à parente factam extinguat hac arrogatione, cui autoritatem addere festinat. *l. 17. §. 1. de adopt.* item an expediat sibi in potestatem arrogatoris redigi *arg. d. l. 33.* aut annon melius sit vel legitimis suis heredibus ob sanguinis conjunctionem; aut etiam iis quos ex testamento paterno habet, quum pater optimum circa filium & ejus bona consilium regulariter capere soleat. *l. 7. pr. §. 5. C. de cur. fur.* bona sua conservari: cum intellectum quidem habeat, sed aliquem tantum, non plenum. *§. 9. I. de inut. stip.* Id circò ex æquitate, jure singulari, receptum est, ut per illam cautionis præstandæ necessitatem, de qua supra dictum, pupillo arrogato & omnibus, ut loquitur formula satisdationis *in l. 19. pr. ff. de adopt.* ad quos ea res pertinet, perinde atque si arrogatio facta non esset, omnia jura in suo statu conserventur, Ant. Fab. *d. l. pr. 1. illat. 11. p. m. 486.* ad puberem usque ætatem, in qua ipsemet discernere possit, an expediat sibi arrogatio; & si probaverit eam sibi non expedire, sive ab initio se circumventum dicat, sive etiam postea non expedierit, patrem ad emancipandum cogere. *d. l. 32. pr. l. 33.* atque sic pristinum jus recuperare.

XXII.

Quod uberius deducitur

Quod si igitur impubes à patre suo adoptivo, quacunque id ex causa fiat, exheredetur aut emancipetur; quod posterius etiam non simpliciter, sed causa demum à Prætore cognita patri permissum est. *d. §. 3.* Dn. Struv. *d. S. I. Civ. ad tit. de adopt.* 6 *60.* bona sua omnia, quæ ad eum transtulit, & quorum commodum ei, quam diu in familia ipsius fuit, adquisivit, Ant. Fab. *d. l. pr. 1. illat. 11. in fin.* ipsi impuberi restituenda sunt. *d. §. 3. I. eod. l. ult. quæ in fraud. patron.* Et quidem quod etiam ex justa causa emancipato, puta, si erga arrogatorem impius extiterit, bona sint restituenda, ex Hottomanno hanc rationem adfert Vinn. *ad d. §. 3 n. 2.* quod hoc modo omnem improbitatis suspicionem, quâ facile arrogator gravari potest, jura ab eo

avertant.

avertant. & agnoscit etiam necessitatem statim, restituendi, facta sc. emancipatione, Locamerus *quæst. Inst. 35.*

Quæ necessitas restituendi incumbit etiam arrogatori, quando ad emancipationem causa cognita per Judicem coactus fuerit. quod arrogato, si velit, petere licet. *l. 32. pr. l. 33 de adopt.* Quod si verò impubes in ista ætate, *l. 20. pr. de adopt.* in familia arrogatoris moriatur, omnibus illis, qui arrogatione non facta ex pupilli bonis quid accepissent, restitutio facienda est. *d. l. 18. l. 19. pr. d. §. 3.* etiamsi mox post adoptivum patrem decedat. *l. 22. pr. ff. eod.* imò etiam si pubes decedat; modo impubes adhuc emancipatus sine causa vel exheredatus fuerit.

Igitur si naturalis pater ei testamentum fecisset, tunc ante omnia hujus ratio habenda. *l. 89. de R. I.* & libertates & legata in eo relicta præstanda erunt, & admittendi in eo scripti heredes, aut substituti etiam pupillo. *d. l. 19. pr. l. 40. ff. de vulg. & pupil. substitut.* qui textus legis 40. Anton. Fabri *in d. jur. Papin. tit. 10. pr. 1. illat. 11.* contra communem statuentis, pupillariter substitutis impuberi arrogato non succurri per leges, opinionem cum rationum variis ab eo adductis conjecturis, apertò refutat. Quod si vero eidem pupillariter non substituit, aut substituit quidem, verum id irritum factum est destitutione hereditatis, tunc heredibus ab intestato locus erit, *d. l. 40.* eo quidem ordine, quo ex lege vocentur. *sc. juxta Novell. 118. c. 2. & 3.* Ubi tamen notandum, quod si mater impuberi cessaverit tutorem petere, isque postea arrogatus decesserit, matri adversus arrogatorem non consulatur. *text. expr. in l. 2. §. 46. ff. ad SC. Tertyl. junct. §. penult. I. eod.*

Licet verò illi, inter quos, factâ impuberis arrogatione, jura agnationis consequuntur, *§. 2. I. de legit. agnat. succ. §. 2. I. de hered. ab int. l. 23. de adopt.* ad ejus in ætate pupillari decedentis successionē non admittuntur; non tamen vicissim ipse ab eorundem successione repellitur. Nihil enim quoad hoc peculiare introductum est; igitur jus commune in eo firmum manet, *de quo in l. 1. §. ult. ff. de suis & leg. hered §. 2. I de lig. agn. succ.*

XXIII.

Quæritur autem: *quo remedio juris ab arrogatore aut ejus heredibus aut fidejussoribus bona hæc repetantur, præstita ejusmodi satiedatione?* Cum satisdatio hæc per stipulationem fiat, & sic ex contractu verbali *& declaratur*

verbali promittentes obligentur, ex ipso etiam contractu hoc actio erit. *pr. I. de V. O.* & quidem cum objectum ejus incertum sit tempore stipulationis, actio erit ex stipulatu, *d. pr. d. l. 2. §. 46.* verum cum per publicam personam stipulantem promissio recipiatur, per quam directa actio nemini acquiri potest, Gothof. *in not. ad d. l. 40. de vulg. & pupil. substit. lit. z.* ubi ad hoc allegat Baldum & Cujacium *consult. 46.* qui tamen nihil hujus ibidem habet. idcirco utilis tantum ex stipulatu actio hoc in casu competit, *d. l. 40.*

XXIV.

Quid si non præstita? At *qua ratione consuletur his personis, si ejusmodi satisdatio, ut fieri de facto potest, omissa fuerit?* sane enim cum jure communi, ut supra ostensum, & stricto repellantur ab hereditate arrogati, nec actio ex stipulatu hoc in casu acquisita sit, videbatur dicendum nihil planè juris ipsis adversus arrogatorem aut ejus heredes tunc competere. Verum ùtut ex stricta juris ratione actio certa & nominata deficiat; Jure tamen Civili nihilominus utilitatis causa ex æquo & bono utilis actio in hanc rem introducta & comparata est. *per text. expr. in l. 19. in fin. ff. de adopti:* qua idem consequuntur hæ personæ, ac si stipulatio expressè interposita fuisset. *arg. l. 47. ff. de N. G.* vid. Dn. Rebhan. *in hodeg. Iuris. p. 640.* Scil. exemplo *l. 5. §. 1. de usufr. ear. rer. quæ us. consum. l. 7. pr. usufr. quem. cav.* C. J. A. *de adopt. th. 47.* Ant. Fab. *d. l. pr. 1. illat. 13. pag. m. 505.* Fit enim hæc restitutio vi & potestate obligationis & actionis personalis, non jure successionis, inquit idem. *d. l.*

XXV.

& in summa recensetur. Jure ergo benigno omnes supra enumerati effectus, qui aliàs facta licet impuberis arrogatione, obtinerent, cessant quantum ad effectum, nempe translatio bonorum arrogati impuberis perpetua, *d. l. 18. & seqq. ff. de adopt.* repulsio ab hæreditate impuberis eorum, qui, arrogatione non facta, aliàs successissent. *dd. ll. l. 40. de vulg. & pupil. substitut.* extinctio substitutionis pupillaris, *d. l. 40.* facultas impuberi substituendi in bonis ad arrogatorem allatis & penes eundem acquisitis, *l. 22. §. 1. ff. de adopt. l. 10. §. 6. de vulg. & pupill. substitut.* impunè item exheredandi, *d. §. 3. I. de adopt.* & sine causa emancipandi *d. §. 3.* nec non impuberem, ubi pubes factus, invitum retinendi in potestate. *l. 33. ff. eod.*

XXVI.

Non parum favoris hoc est, quo jura nostra pupillos in hoc actu

actu sunt complexa. Verum idem favor longius protraxit Antoninum Imp. in sua constitutione, ita ut noluerit esse contentus necessitate de restituendis impuberis arrogati bonis omnibus injustè & sine causa emancipanti aut exheredanti arrogatori imposita, sed insuper id constituit & jussit, ut quartam quoque bonorum suorum (arrogatoris intelligo) partem eidem relinquat. De qua Quarta, quia celebris in jure nostro est, nunc erit agendum, sed paucis. Vocatur ea à Dd. Quarta Antoniana (melius forsan Antoniniana) ab Antonino (non Antonio aliquo) Imperatore, Cujac. *d. consult. ult. Gothofr. in not. ad l. ult. ff. de his, quæ in fraud patr. lit. C.* item quarta D. Pii ad exemplum quartæ Falcidiæ, Trebellianicæ, Legitimæ, quæ itidem nomina sua suis debent authoribus, ejusque fit mentio in *d. §. 3. l. l. 22. pr. & §. 1. ff. de adopt. l. 8. §. 15. de inof. testam. l. 2. §. 1. fam. herc. l. 1. §. 21. ff. de collat. l. ult. ff. si quid in fraud. patr.*

Huc pertinet potissimum Quarta Antoniana. *Cujus proponitur* Definitio *&* *Nominis tum* Etymol. *tum* Synonym.

Et autem hæc Quarta Antoniana nihil aliud, quam portio quarta, quæ ex bonis defuncti arrogatoris impuberis ex constitutione D. Pii impuberi debetur in casu factæ ejusdem, in pupillari ætate adhuc constituti, sine justa causa emancipationis aut exheredationis.

& Rei.

Causa ejus efficiens est jus Civile, & quidem D. Pius Antoninus Imp. qui hanc necessitatem, talem portionem relinquendi, introduxit, in constitutione sua, *l. 8. §. 15. de inoff. testam. l. 2. §. 1. fam. herc. l. ult. quæ in fraud. patr.* seu rescripto *l. 22. §. 1. de adopt. l. 1. §. 21. de collat.* quo impuberum arrogationem prius prohibitam primus admisit. Et introduxit eandem fere ad eum modum, quo aliàs legitima à certis personis relinquenda est. Unde perinde uti legitima, *l. 36. §. 2. C. de inoff. testam.* Frantzk. *comm. in π. de inoff. testam. n. 51.* quasi æs alienum dicitur *in d. l. 8. §. 15. ff. eod.* eamque ad impuberem pertinere non judicio patris, sed providentia principali, *d. l. 22. §. 1.* ex ipsa constitutione ad eum deferri, *d. l. 2. §. 1.* secundum illud rescriptum deberi *d. l. 1. §. 21. ff. de collat.* ex ipsa constitutione arrogatum eandem habere, *d. l. 8. §. 15.*

Præterea causa Efficiens. *tum Principalis*

Impulsiva fuit partim favor impuberis ætatis. Vinn. *ad d. §. 3. in fin.* Frantzk. *2. Exerc. 9. n. 11.* partim vero odium ejus, qui in innocente hac ætate adhuc constitutum vel è familia iterum sine justa causa dimittit, quem tamen paulò prius fatigato precibus Imperatore,

tum Impulsiva.

ac

ac etiã causæ cognitione ipsoMagistratu, tutoribus & propinquis pupilli, in eandem assumserat; vel ab hereditate sua, cujus tamen spem obsequio sibi paraverat, juxta *l.17.§.3.de adopt.* quæq; forsã ad permittendam hanc arrogationem ipsum pupillum, tutores ejus, Magistratum & Imperatorem invitaverat, *d. l. 17. §. 2. & 4.* excludit. In pœnam itaque temerariæ exclusionis è familia aut hereditate introducta est. Arumæ *exerc. 2. th. 19.* Harp. *ad d. §. 3. n. 12.* Dn. Ludw. *com. I. eod. n. 2.*

Item Finalis. Finis autem potissimus fuit salus ipsius impuberis, ut ab eo averteretur nota injustæ emancipationis & exheredationis, Dn. Ludw. *ad d. §.3. in fin.* Frantzk. *d. l. n. 5. & 11.* aut si inusta tamen esset, compensaretur hoc lucro, ob certitudinem suam pinguiore, quam est querela inofficiosi testamenti, quæ per quinquennium tantum vivendi spatium habet, *l.43.§ ult.C.de inoff.testam.* nec ad heredes transmittitur non præparata, *l. 6. in fin. l. 7. ff. de inoff. testam.* cum quartæ hujus petitio sit perpetua, *arg. l. 3. C. de præscr. 30. ann. pr. I. de perp. & temp. act.* & decedente licet ante arrogatorem impubere sine justa causa emancipato à legitimis pupilli successoribus institui possit. Vid Ant. Fab. *d. l. pr. 1. illat. 12. pag. m. 490.* Frantzk. *comm. I. ad d. §. 3. in fin.* Itaque si dignus emancipatione fuerit, eidem scil. malis suis moribus, ex. gr. insidias vitæ patris struendo, occasionem dederit, Dn. Ludw. *comm. I. de adopt. num. 1.* quartam hanc non consequitur.

XXVII.

Ulterius Materia & Subjectiva Subjectum cui debetur, est impubes arrogatus, sed injustè & iniquè ab arrogatore emancipatus, aut exheredatus adhuc in impubere ætate constitutus, *dd. tt.* Quod si verò facta emancipatione aut exheredatione decesserit impubes, sive in ista ætate, sive jam pubes factus, heredes ejus ad quartæ hujus petitionem admittuntur, *d. l. 22. pr. de adopti: l. 1. §. 21. ff. d. collat.* Quemadmodum & ipse facultatem hanc petendi semel in impubere ætate acquisitam post exercere potest, etsi pubes factus sit. *arg. d.l. 22. §. 1. de adopt.* nec enim pubertate jus semel perfectè acquisitum amittit; Licet non nisi in impubere ætate & propter eam acquiratur, *d. §. 13. I. eod.* Cæterum si ætatem hanc semel excesserit Impubes arrogatus, & postea iniquè emancipatus aut exheredatus fuerit, jure hoc singulari non amplius fruitur, utut impubes fuerit arrogatus, sed jure communi tunc uti debet. Haud secus ac si pubes arrogatus fuisset, *arg. l. in omnibus 68. ff. de R. I.* Locam. *quæst. Justin. 34.* atque sic Legitimam, non Antonianam

nianam hanc, tunc petere potest iniq; exheredatus; Igitur hæc quarta nec injustè emancipato vel exheredato puberi, etsi adhuc impubes, ut dictum, fuerit arrogatus; multo minus alii cujuscunque alterius ætatis arrogato concessa est. Nec etiam impuberi emancipato vel exheredato, sed justè. Etsi enim vix contingere possit in persona impuberis justa exheredationis causa secund. Ant. Faber. *d. l. pr. 1. illat. 13. pag. m. 506.* si tamen casus ejusmodi contingit, disquiritur inter Dd. an Quartam etiam tunc accipiat? Dubitativè hanc quæstionem decidit Vinn. *comm. I. de adopt. n. 2.* Ritterhus. *comm. I. eod. p. 84.* & alii ita loquuntur: in exheredatione (simpliciter, nulla adjecta distinctione) idem jus esse, quod in emancipatione sine causa. Verum menti legislatoris convenientius mihi videtur, statuere Quartam hanc minimè deberi, *vid.* Ant. Fab. *d. l.* Frantzk. *2. exerc. 9. n. 3. & com. de adopt. n. 5.* Pac. *in an. Cod. de adopt. n. 18.* Quid verò si plane nec emancipatus nec exheredatus fuerit? Quartam & tunc deberi defendit Locam. *quæst. Inst. 33.* Verùm quo minus ei adhæream, faciunt supra dicta. Patet insuper ex superioribus, quod nec filiofamilias impuberi adoptato, post sine causa emancipato aut exheredato Quarta hæc debeatur, Ant. Fab. *d. l. pr. 1. illat. 12. pag. m. 489.*

XXVIII.

Objectum hujus Antonianæ, seu id, de quo Quarta hæc debetur, quod controversum quam maximè sit inter Juris Interpretes, neminem vel mediocriter in jure versatum latere arbitror. Sunt enim qui defendunt, Quartam hanc deducendam esse, non ex universis ab arrogatore relictis bonis, sed ex portione, quæ aliàs ab intestato liberis in genere debita est, ac Legitima in jure dicitur, & ante *Nov. 18. c. 1.* quarta semper fuit portionis hereditatis ab intestato cuivis debitæ, *l. 8. §. ult. ff. de inoff. testa. §. ult. I. eod. l. 31. C. eod. l. pen. C. de collat.* ut ita ex. gr. si arrogatori impuberis duodecim millia florenorum in bonis, & in familia unà cum impubere essent liberi tres: quia tunc singulorum portio ab intestato ipsis debita essent quatuor millia florenorum, & Legitima seu quarta ex hac mille, tunc hoc in casu non nisi ex mille Antonianam hanc constare putent. Similem casum format Vult. *ad pr. I. de adopt. n. 6.* Quæ sententia est Gloss. & Dd. ac Interpretum veterum, uti notavit Pac. *in not. ad d. §. 3. I. de adopt.*

& Objectiva qua consideratur tum Remotivè

adopt. lit. A. & Vinn, *add.* §. *n.* 3. Quam ex recentioribus etiam nonnulli sequuntur, inter quos est Schneidew. *ad d.* §. 3. *n.* 10. Bach. *ad Trentl. vol.* 1. *disp.* 2. *th.* 9. *lit. C.* Besold. *in delib. jur.* 1. *n.* 28. Perez. *C. de adopt. n.* 9. Vinnius *d. l.* ac novissimè Dn. Brunnem, *comm. ad d. l.* 2. *C. eod.* Eorum argumenta paucis sunt sequentia. 1. Deductum est ab absurditate, quæ fluere posset ex sententia contraria in casu quinque vel plurium impuberum arrogatorum injustè emancipatorum aut exheredatorum, quibus singulis eo in casu Quarta ex constitutione contingere non posset. 2. Ab iniquitate, resultante in casu quo emancipatione aut exheredatione tali facta alius in potestate retentus esset, naturalis vel arrogatus etiam impubes, cui Quarta hæc nullibi in jure assignatur; uti nec aliis heredibus scriptis aut ab intestato venientibus, etiamsi fidei commisso universali gravati essent. Quam ampliationem urget Vinnius *d. l.*

XXIX.

tum Positivè Econtra alii, maximè recentiores, JCti, attestante Vinnio *d. l.* Quartæ hujus objectum asserunt esse universa arrogatoris defuncti bona, de quibus Antoniana hæc deducenda sit eò in casu indistinctè, ut ita in illa superius formata facti specie non mille floreni, sed eorundem quatuor millia ad impuberem pervenirent. Cujus sententiæ defensores in specie sunt Arumæ 2. *exerc.* 19. Vult. *ad pr. I. de adopt. n.* 6. Pac. *in not. ad d.* §. 3. Harp. *ad d.* §. *n.* 9. *& seqq.* Ant. Fab. *d. Iurispr. Papin. tit.* 10. *princ.* 1. *illat.* 12. *pag. m.* 501. qui ipse omnibus optime in hanc quartam meditationibus suis penetravit. *C. I. A. n. de adopt. th.* 51. Locam. *quæst. Iusti.* 32. Schotan. *in exam. Iurid. tit. de adopt.* Frantzk. 2. *exerc. quæst.* 9. *per tot.* Marc. Lyclam. 6. *membr.* 5. *referente* Frantzk. *d. l. n.* 8. Sutholt. *disser.* 2. *th.* 69. Dn. Ludw. *com. J. de adopt. n.* 2. novissime Dn. Struve *in synt. I. Civ. de adopt. th.* 60. Quorum sententia sequentibus nititur fundamentis.

I. Textum hoc asserentium consonantia, nempe *d.* §. 3. *I. de adopt. ibi: jubetur sc. arrogator quartam partem ei bonorum suorum relinquere. d. l.* 22. §. 1. *ff. eod. ibi: quartã partem ex bonis arrogatoris consequitur. d. l.* 1. §. 21. *de collat. ibi: de arrogatoris bonis quarta debetur, d. l. ult. ff. si quid in fraud patr. ibi: ex bonis quæ mortis tempore illius, qui adoptavit fuerunt, pars quarta ad eũ pertinet, qui adoptat⁹ est. l.* 2. *C. de adopt.*

adopt. ibi: bonorum arrogatoris quarta pars tam in postremo judicio, quam si ab ipso impubes emancipatus fuerit, ei præbetur. In quibus locis omnibus generaliter absolutè & indistinctè loquentibus, quartam bonorum arrogatoris velle interpretari de quarta portionis cujusdem bonorum arrogatoris, nempe portionis ab intestato ex bonis ejus debitæ, violentum fore credunt. His addunt *l. 8. §. 15. ff. de inoff. testam.* Ubi quæstio instituitur de eo, an impubes arrogatus iniquè exheredatus ad querelam sit admittendus? negatur ex ea ratione, quod quartam habeat ex constitutione D. Pii. Quam quartam ex tot text. ibidem de quarta bonorum accipiendam esse non dubitant, arbitrantes JCtum tanto minus tunc velle dubitari debere, quod ejusmodi impubes semper quartam habeat bonorum, & semper plus, quam quartam portionis ab intestato ei debitæ, maximè in casu quo defunctus plures reliquit liberos facultatem inofficiosi querelã instituendi habentes. 2. Ipsius æquitatis, quæ favore ætatis arrogati impuberis ob acceptam injuriam, contra juris regulam, introduxit, ut cùm impuberibus naturalibus liberis vel etiam puberibus in potestate constitutis sine causa emancipatis, nulla, quantacunque etiam sit, ex lege portio debeatur; inique autem exheredati opus habeant omnes inofficiosi querela; omnium tamen Dd. confessione impuberum arrogatorum, si emancipati fuerint melior, quam eorum sit conditio in eo, quod portionem aliquam ipsis ex sua constitutione D. Pius debere voluerit, quam cæteris denegavit, qui in familia mansere, & quòd exheredatos à necessitate querelæ liberaverit. Uti ergo hic, quem omnes agnoscunt, favor ob similem, quam hic objiciunt, apparentem iniquitatem ab adversæ opinionis asseclis non rejicitur; ita quid obstet, quo minus etiam hunc agnoscant cum textibus ita apertè loquentibus, utut nonnihil in certis casibus latius extensum, non apparet. *vid.* Frantzk. *d. l. n. 11.* 3. Iniquitatis, quæ à dissentienbus propter naturalium liberorum gravamen subesse creditur, defectu, quòd, etsi in potestate retenti respectivè tantum, quantum sine causa emancipatus aut exheredatus, non accipiant; accipiant tamen sæpe partem fructuum bonorum arrogati impuberis accessione magis auctam Frantzk. *d. 2. exerc. 9. n. 12.* Harp. *ad d. §. n. 12.* Quæ rationes tanti momenti mihi esse videntur, ut licet potiorem ex iis pro leviusculo

argumento habeat Besold9 *d l.* huic tamen posteriori sententiæ calculum meum adjungere non verear; Non tamen etiam diffitear, priorem sententiam magis tolerabilem esse in casu, quo plures arrogatori sunt liberi naturales. & ita quidem cum Harp. *ad d.* §. *n. 12.*

XXX.

Item **Forma seu Differentia specifica**

Forma seu differentia specifica, qua à cæteris supra enumeratis Quartis secernitur, dependet potissimum à subjecto, quod hic non est is, cui ex naturali quadam ratione portio ex hereditate relicta debetur; nec etiam hæres legato, aut fidei commisso gravatus ultra dotrantem hereditatis; sed, ut dictum, impubes arrogatus, verum sine causa emancipatus aut exheredatus, *d.* §. *3. I. de adopt. d. l. 2. C. eod.* cui ex omnibus defuncti bonis quarta pars debetur. Hæc autem *quarta Antoniana an aucta sit etiam jure novo per Nov. 18. c. 1.* ? quæstionis est: non quidem inter eos, qui eandem quartam esse autumant omnium bonorum. Cum illa semper & longè quidem pinguior sit ipsa legitima utut aucta: Sed inter cæteros, qui contrarium statuunt. Præsupposita autem hujus sententiæ veritate, rectius sane contra Minsingerum & alios sentire mihi videtur Vinnius, qui eam auctam omnino esse asserit, cùm & arrogato impuberi ab antiquo querela inofficiosi competierit antea per D. Pii constitutionem, jura pupillorum non minuentem, sed augentem. Horum verò omnium, quibus ab initio antiquæ quartæ ratio de inofficioso lege decreta est, portionem se auxisse apertè fatetur Justinianus *in d. Nov. 18. c. 1.* Idem sentit Besold. *in delib. jur. 1. n. 28.* qui addit ibidem, quod pluribus successivè arrogatis primus tunc subsequentium minuat portiones.

XXXI.

Huc pertinet hanc Quartam petendi & Tempus

Pertinet huc Tempus, quo Quarta hæc, facta emancipatione tali deberi incipiat & peti possit? & dicendum est cum JCto *in l. 1. §. 21. ff. de collat.* quod vivo patre emancipatore non nascatur petitio ejus, sc. cum effectu sed eo demum mortuo. Ant. Fab. *d. l. pr. 1. illat. 12. p. m. 493.* scil. causa illa injustæ emancipationis aut exheredationis existente spes tantū est, sed tamen certa, debitum[eam iri mortuo quandocunque adrogatore, perinde ac si arrogator se stipulatione obstrinxisset de illa Quarta vel alia re qualibet post mortem suam restituenda,

da, inquit Ant. Fab. *d. l. p. m. 498. & seqq.* ubi hanc rem late persequitur. Quamvis enim hæc quarta æs alienum dicatur in *l. 8. § 15. ff. de inoff. testam.* dicitur tamen tale relatione habita ad mortem subsecutam, aut sub ista quasi conditione, quam tamen omnimodo tandem aliquando extituram certum est, *propter l. 17. ff. & l. seqq. de cond. indebi.* nam & legitima æs alienum dicitur, *Nov. 1. præf.* §. *2.* Harp. *ad §. ult. I. de inoff. testam. n. 56.* & debitum naturale *in l. 36. §. 2. C. de inoff. testam.* & tamen de ea vivo patre quæri non potest. Frantzk. *ad π. de inoff. testam. n. 38.* sed tempus mortis in ea computanda spectatur. Dn. Carpz. *Iurispr. for. p. 3. constit. 12. def. 10. n. 4.* Inter quam tamen & hanc Antonianam id interest, quod legitima nec re nec spe radicata ante mortem ejus, ex cujus bonis aliquando accipienda, debeatur, *l. 1. de hered. vel. actio. vend. l. 1. pro hered. d. l. 1. §. 21. ff. de collat,* at Antoniana statim impleta conditione, sub qua ex constitutione D. Pii debetur, nempè exclusionis sine justa causa à familia, aut etiam ab hereditate, incipit deberi, ita ut statim cesserit tunc dies obligationis & ad heredes etiam transferatur, sed nondum tamen venerit, ut peti possit. Vide plura apud Anton. Fab. *d. l. maximè pag. m. 500. & seqq. ubi num. 502. in fin.* adjicit, hanc Antonianam quidem rectè æs alienum appellari; at malè ac imperite ita vocari à plerisque interpretibus Legitimam.

Sciendum autem quod si tempore mortis arrogatoris per ejusdem contractus & actus inofficiosos in hac portione defraudatum se videat impubes, per actionem quasi Calvisianam vel Favianam alienationem talem, pro modo tamen hujus portionis, revocare possit. *text. expr. in l. fin. ff. si quid in fraud. patron.* quem textum DD. etiam ad Legitimam defraudatam extendunt, uti videri est apud Dn. Carpz. *jurispr. for. part. 2. constit. 12. definit. 36.* ubi in fine tria in hanc rem subjungit præjudicia.

XXXII.

Ex hac Antonini constitutione, & jure Quartam ita deducendi per eum constituto, nascitur immediate obligatio, qua arrogator astringitur partem hanc impuberi relinquere salvam & nullo quidem onere gravatam. *d. §. 3 I. de adopt. ibi: jubetur quartam ei bonorum suorum relinquere, juncta l. 32. C. de inoff. test. l. 22. §. 1. ff. de adopt.* 13 Remedium.

l. 10. § 6. de vulg. subst. velit an nolit. id enim vult principalis providentia. unde si fideicommisso eundem in testamento in Quarta hac (aliud in cæteris bonis quæ ab arrogatore accepit) oneraverit, onus id plane rejicitur, nec admittitur. *d. l. 22. §. 1.* perinde ac si nihil tale in testamento additum esset, *arg. l. 32. in fin. C. de inoff. test.* Perez. *C. de adopt. in fin.* cum enim quis in ultima voluntate gravare potest, quem per eandem honoravit. *pr. & §. 1. I. de sing. reb. per fideicom. relict. l. 1. §. 17. ff. ad sc. Trebell.* Perez. *ad C. de impub. & alior. substit. n. 14.* Videbatur autem ex hac ratione facultatem etiam eidem in hac Quarta pupillariter substituendi arrogatori concedendam non esse; quæ quorundam etiam veterum JCtor. sententia olim fuit. verùm Scævola JCtus diversum sensit; cujus sententiam quoque Ulpianus meritò, ob rationem quam habet, approbavit *in d. l. 10. §. 6. ff. de vulg. & pupil. substit.* sc. quia hæc substitutio nihil oneris, sed merum pupilli favorem continet *§. 1. I. quib. non. est perm. fac. test. pr. I. de pup. subst. juncta l. 42. ff. de acq. hered. l. 6. pr. de interr. in jur. fac.* Et præterea illi, ad quos aliàs impuberis bona, arrogatione non facta, perventura fuissent, hac substitutione in illis ab arrogatore aut ejus occasione acceptis bonis facta non gravantur, cùm arrogatione non facta nihil ex iis ad eos pervenisset. Ex qua ratione recte omnino facultatem ita substituendi ratione objecti ad omnia bona quæcunque impubes beneficio & intuitu arrogatoris acquisivit, qualia sunt e. g. quæ arrogatoris amici, cognati impuberi donarunt aut reliquerunt, extendit Ulp. *d. l. 10. §. 6. in fin.* Ex hac autem obligatione, quia ex nova lege est, genus actionis, quo peti debeat, non exprimente, condictio ex lege competit. Harpr. *in comm. ad §. 3. I. de adopt. in fin.* post Anton. Fab. *d. l. pr. 1. illat. 12. p. m. 496.* quæ personalis actio est, *text. expr. in l. 1. §. 21. ff. de collat.* Quanquam autem Quarta hæc, quæ ad arrogatum impuberem ex constitutione D. Pii defertur, est bonorum omnium defuncti arrogatoris, propterea tamen neque heres fit impubes, neque bonorum possessor, aut hereditario jure ad pupillum vel agnatos ejus proximos ea pertinet. Besold. *in delib. juris. 1. π. 28.* & consequenter remedia quæ aliàs his competunt, instituere non potest; quemadmodum nec jure accrescendi gaudere. Ex æquitatis tamen ratione & mente legis, v.

Wesenb.

Wesenb. *ad n. famil. herc. n. 4.* utile familiæ hercifcundæ judicium quoque eidem conceditur *in text. expr. l. 2. §. 1. ff. fam. herc.*

XXXIII.

Et hæc de hac quarta sufficiant. Ad effectum hujus arrogationis præterea pertinet & amissio nominis pupilli. Quia enim in potestatem transit arrogatoris, hoc nomine amplius venire non potest, propriè & cum JCto loquendo *in l. 239. de V. S.* ubi pupillum eum definit, qui cum impubes sit, desierit justis modis in potestate esse. *vel (vid. supra th. 19. pag.(Proprii. quales sunt*

Pertinet eò & solutio Tutelæ, in qua hactenus pupillus fuit, *l. ult. C. de aut. præst.* ita ut finiatur ipso jure, *l. 17. §. 1. ff. de adopt.* & pupillus tutores habere desinat. *text. expr. in l. 14. pr. ff. de tutel. §. 1. I. quib. mod. tut. fin.* quia desinit habere caput liberum, cùm subjiciatur potestati alienæ patriæ, cum qua tutoria potestas incompatibilis est. *§. 1. I. L. 1. pr. ff. de tutel. Dd. ad dictum §. 1. I. quib. mod. tut. fin.* Connan. *d. l. n. 12.* 2.

Tandem etiam facultatem amittit per constitutionem D. Pii, querelam inofficiosi instituendi adversus testamentum arrogatoris. *l. 8. § 15. ff. juncto §. 2. I. de inoff. test.* Ant. Fab. *d. l. pr. 1. illat. 12. p. m. 490. & seq.* 3.

XXXIV.

Sequitur tandem causa dissolvens hanc arrogationem ritè constitutam, quâ peculiaris, aliorum arrogationibus non communia, habet. Ea vero est pubertas. Vinn. *ad d. §. 3. n. 2.* Ad hanc ubi pervenit Impubes arrogatus, tunc cessant omnia hæc in favorē ipsius introducta singularia jura, *arg. d. §. 3. I. de adopt. ibi: si intra pupertatem pupillus decesserit item: non aliter emancipare eum, sc. pupillum. l. 20. pr. ibi: si impubes decesserit. l. 22. pr. & §. 1. ff. eod. l. 14. pr. de tutel. l. 8. §. 15. de inoff. test. l. 2. C. de adopt.* Atque sic ab eo tempore bona hujus arrogati etiam inviti remanent perfectè, secundum tamen notam distinctionem, apud ipsum arrogantem; ii qui aliàs arrogatione non facta ad ejus hæreditatem pervenissent, ab ea appelluntur, arrogatorque à necessitate restitutionis bonorum arrogati, vi satisdationis aliàs faciendæ ipsis arrogati heredibus legitimis, liberatur, Ant. Fab. *d. l. pr. 1. illat. 11. circa fin. p. m. 488.* facultatem item eundem sine causa emancipandi vel exheredandi citra Quartæ illius me- *II. Constituta consideratur etiam quoad Causam Dissolventem*

tum

tum accipit arrogator; præterea fidejussorum, si quos arrogator dedit, obligatio expirat. Dn. Brunnem. *comm. ad d. l. 2.* nec amplius cogi potest, ut invitus eundem, si arrogatio ei non expediat, emancipet. per jura supra allegata. Nisi quod æquitas hoc exigat, ut, si pubes factus non expedire sibi in potestatem arrogatoris redigi probaverit, causa cognita ab eo emancipetur. *l. 32. pr. l. 33. ff. de adopt.* Quod si vero id omiserit & arrogationem ratihabuerit pubes factus, postea tamen, antequam minorennitatis annos excesserit, in ipsa arrogatione circumscriptum se dicat & probet, tunc audiri debet in integrum se restituens. *l. 3. §. 6. de minor.*

In Sese consideratâ hac materia expenditur etiam in Cognata *materia* Vnionis *prolium sed remissivè.*

XXXV. & ult.

Cognata huic arrogationi quam maxime est unio prolium, die ein Kindschafft/ illarum maxime ex natis, quæ impuberes adhuc sunt. quæ ipsa etiam sua incunabula eidem debet. De qua peculiare hujus Ducatus inclyti statutum videri potest in. I. P. W. *par. 3. tit. 9.* ejusque nativitatis in Germania rationem, post alios etiam nuper indagavit Celeberrim9 Dn. D. Lauterbach. præc. & patr. meus colend. *in differ. Iur. comm. & Wirtemb. pag. 117.* In genere autem de ea videri potest Gail. *lib. 2. observ. 125.* Jacob. Rick. *tr. de unione prol.* & post eum Muscul. *supra allegato loco, ubi* plenius integro Capite eam tractat. Schulz. *in synop. Inst. de adopt. lit. a.* Wehner. *in obs. pract. voce* ein Kindschafft. *& alii.* Hæc de hac materia pro temporis & instituti ratione sufficiant.

DEO SOLI GLORIA.

